

17.

Pro informatione.

142

Non solum per legem publicam Constitutionis de Anno 1683. sancitum est; quod Duces Curlandiæ non aliter, nisi in propria persona sua, juramentum fidelitatis seu homagium, Regi & Reipublicæ Poloniæ præstare debeant; Sed etiam per Decisiones Commissoriales de Anno 1717, eo in casu, quando Princeps juramentum fidelitatis homagiumque in propria persona sua nondum præstitit, Generosa Nobilitas ab obedientia Principibus investitis præstari solita, pro absoluta declaratur. Hæ decisiones Commissoriales a tempore promulgationis inter reliqua jura Curlandica semper in pleno usu & autoritate fuerunt, & per Constitutionem anni 1736 inter omnia jura Curlandica confirmatæ sunt.

Per eandem Constitutionem de Anno 1736 Serenissimo & Potentissimo Regi Poloniarum Augusto III. gloriosissimæ memoriæ, Potestas quidem concessa fuit, feudum Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ in casum apertura iterum alii cui vellet, modo in simili practicato, conferre: Attamen hoc non aliter intelligi potest, quam salvis legibus publicis supra allegatis.

Postquam vero putativus Illustrissimus Dux Ernestus Joannes de Biron contra expressam legem allegatam Constitutionis de Anno 1683., non in propria persona sua, sed per procuratorem, juramentum fidelitatis, seu homagium præstitit, plane nullum est dubium, investituram pro illo Anno 1739. in fraudem legis obtentam, ipso jure nullam & irritam fuisse, quia omne id, quod in fraudem legis

A

factum

factum est, nunquam convalescere potest, & proinde feudum Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ vacans permanfit.

Interea accidit ut prædictus Dux Bironius Anno 1740. in Aula Petroburgensi in carcerem conjiceretur & propter varia crimina atrocia, vigore sententiæ judicialis, vita privandus esset, postea autem ex clementia, vita condonatus, cum tota sua familia ad perpetuam captivitatem condemnaretur, uti hoc ex literis patentibus publicis typis impressis, (vulgo Manifest) tum temporis undique distributis, satis superque notum est. A quo tempore in Curlandia omnia Regiminis & Gubernationis munia, nomine Sacræ Regiæ Majestatis tam diu administrata fuerunt, donec Serenissimus & Potentissimus Rex Augustus III., habito prius Senatus-Consilio ad instantes preces multorum Dominorum Senatorum, & imprimis ad amicabilem commendationem & instantiam Serenissimæ & Potentissimæ Imperatricis Russiæ Elisabethæ, gloriosissimæ memoriæ, prædictum feudum vacans Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ, ex plenitudine potestatis, per Constitutionem anni 1736. sibi concessa, & sic cum consensu totius Serenissimæ Reipublicæ Anno 1759. Serenissimo Principi Regio & Duci Carolo conferret, qui ad normam legis in propria persona sua juramentum fidelitatis seu homagium Regi & Reipublicæ Poloniæ præstitit, solennem investituram accepit, Regimen in prædictis Ducatibus adiit, ab omnibus incolis & subditis juramentum fidelitatis sibi præstitum recepit, & possessionem legitime acquisitam, per quadriennium, hoc est, usque ad finem anni 1762 & ultra, continuavit.

Neque tacendo prætermitti potest, Aulam Imperialem Rus-
 sicam, propter maximas prætensiones erga Ducem Bironium, ma-
 jorem partem bonorum Ducalium in Curlandia, sub titulo seque-
 stri, occupasse, per octodecim annorum spatium retinuisse & non
 nisi ex singulari gratia erga Serenissimum Regium Principem &
 Ducem Carolum, in Ejusdemque emolumentum Anno 1759 red-
 didisse.

Putativus Dux Bironius autem contra omnem spem & opinio-
 nem ex longinqua captivitate dimissus, & uti jam supra luculenter
 demonstratum est, plane nullum jus ad Curlandiam habens, ausus
 tamen est circa auspiciam anni 1763, cum manu militari hanc Pro-
 vinciam intrare, & per vim ac violentiam, tam Regimen, quam
 etiam omnes proventus Ducales sibi arrogare. Qua propter Sere-
 nissimus Dux Carolus, violentiæ, sive potentiæ superiori resistere
 non valens, se coactum sensit, ex suis Ducatibus discedere. Duo
 Illustrissimi Domini Senatores autoritate S. R. Mtis in Curlandiam
 missi, non solum Nobiles aliosque incolas, sedulo hortati sunt,
 ut juramenti sui memores, in debita fidelitate erga S. R. Majestatem,
 erga Serenissimam Rempublicam, & erga suum legitimum Ducem
 Carolum constantes permaneant, sed etiam nomine S. R. Mtis illos
 certiores fecerunt, quod vigore Resultati Senatus-Consilii Mense
 Martio Anno 1763 habiti, optimi Cives, qui se illibata fide, erga
 S. R. Mtem, Rempublicam, & erga Serenissimum Ducem Carolum
 conspicuos reddiderunt, reddereque pergerent, remunerationem,
 vel præmia præstitæ fidelitatis, sperare deberent. Sed putativus
 Dux Bironius prædictos Illustrissimos Dominos Senatores Mitaviæ

ex suis mansionibus violento modo per armatos milites expulit, & optimi Cives seu Nobiles in debita fidelitate constanter permanentes, loco præmiorum promissorum, suis officiis publicis & possessionibus, per violentiam spoliati & magna damna perferre coacti sunt.

Complures Nobiles Curlandiæ, vi, metu, & spe adducti, putativo Duci Bironio se submiserunt eique homagium præstiterunt, multi autem id facere detrectarunt, asserentes : sibi minime licitum esse, contra jura cardinalia Patriæ suæ, & contra juramentum a se præstitum, alii Principi se submittere, eique denuo per juramentum se obligare, nisi Illi, qui ad normam legum, in propria persona sua, Regi & Reipublicæ Poloniæ, homagium præstisset, rite investitus esset, & a Domino directo pro legitimo Duce Curlandiæ agnosceretur.

Putativus Dux Bironius nihilominus omnes Nobiles sub jugum mittere volens, violentiam adhibuit & sine ullo judicio & sententia, unum Consiliarium Supremum, duos Capitaneos majores, quinque Capitaneos, & diversos judiciorum Assessores, suis officiis spoliavit, in eorumque loca alios intrusit, complures Nobiles bona Ducalia tam jure hypothecario, quam etiam ex locato conducto (vulgo Arrhende) possidentes, & a legitimo Duce Carolo contractus habentes, per violentiam expulit, illisque magna damna intulit.

Hæc multifaria spolia oppido contraria sunt Pactis subjectionis, Privilegio Nobilitatis, Formulæ Regiminis, aliisque juribus Curlandiæ cardinalibus, quæ tamen omnia putativus Dux Bironius per suum plenipotentiarium Anno 1739 juramento confirmavit, & sancte promisit, se nunquam aliquid illis contrarium facturum esse.

Si igitur sæpe nominatus putativus Dux Bironius etiam jus perfectum & indubitatum ad Curlandiam habuisset, attamen per tam multa spolia, violentias & sævities contra suum juramentum commissas feloniam commisit & omni jure excidit, ut taceam, illum per sententiam judicalem Petroburgi in eum latam & undique publicatam, plane inhabilem factum esse, dignitatem Ducis Curlandiæ & Principis feudatarii Regis & Reipublicæ Poloniæ, gerendi. Ex his urgentissimis rationibus complures Nobiles & incolæ Curlandiæ illum maxime abhorrent, & nihil magis in votis habent, quam ut ab ejusdem crudelitate & tyrannide quantocyus liberentur.

Multi Nobiles bene possessionati Magnificos & Generosos Dominos Delegatos suos, nempe Landhoffmeisterum & Consiliarium Supremum ab Howen & Capitaneum maiorem a Mirbach, Warsaviam miserunt cum Instructione, ut prædictas oppressiones & violentias deferant, & Serenissimæ Reipublicæ gratiosissimam protectionem, in pactis subjectionis & diversis Regni Constitutionibus promissam, humillime implorent. Postquam in Formula Regiminis cuilibet privato permissum est Gravamina, jura hujus Pro-

vinciæ concernentia ad S. R. Mtem deferre, majori jure eadem libertas concedenda est sexaginta & amplius Nobilibus bene possessionatis, qui prædictos Dominos Delegatos cum gravaminibus publicis Warfaviam miserunt.

Hi Domini Delegati in audientia gratiosissime illis concessa, Celsissimo Primati & primario Principi Instructionem seu Plenipotentiam, gravamina publica Nobilitatis continentem, Mense Martio hujus anni tradiderunt, & responsionem tulerunt: Quod abolitio istorum gravaminum ad tres Ordines pertineret. Quapropter prædicti Domini Delegati firmiter persuasi erant, causam Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ, de qua in literis universalibus nulla mentio facta erat, in Comitii Convocationis minime in deliberationem venturam esse. Sed hæc spes illos maxime fefellit, dum contra omnem opinionem illis inauditis, & sine ulla commemoratione Gravaminum & Petitorum ab his Dominis Delegatis propositorum, solummodo ad prælectionem literarum a putativo Duce Bironio transmissarum, Articulus de Curlandia conscriptus & Confoederationi Generali insertus est, qui juribus & privilegiis Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ maximum præjudicium facit.

Quoniam vero in hoc Articulo simul Generosa Nobilitas Curlandiæ & Semigalliæ circa sua Jura, Privilegia, Pacta subjectionis & Formulam Regiminis conservatur, licitum erit omne id exponere & indicare, quod his juribus & Privilegiis est contrarium.

In hoc Articulo I. Primarium argumentum pro putativo Duce Bironio est Conventio Gedanensis. Quæ Conventio autem non in
Cur-

Curlandia, præfente & consentiente Nobilitate, sed Gedani solummodo cum Plenipotentiaro putativi Ducis Bironii confecta est, & plurima capita juribus Nobilitatis contraria & nociva continet. Quapropter Nobilitas Curlandiæ contra prædictam Conventionem sua Gravamina ad S. R. Mtem detulit & per Regium Responsum de Anno 1746. justissimam obtinuit declarationem : Quod Conventio Gedanensis juribus Nobilitatis nunquam perniciosa esse aut præjudicare debeat. Præterea ipse putativus Dux Bironius Anno 1763. erga Generosam Nobilitatem in Curlandia omne id quod in Conventione Gedanensi Juribus Nobilitatis contrarium est, pro irrito & nullo declaravit; Sed tale instrumentum illegale, cujus validitas non solum per Regium Responsum valde restricta est, sed cujus plurima capita etiam ab ipso putativo Duce Bironio pro irritis declarata sunt, nullum argumentum ad confirmanda ejusdem jura per se invalida, afferre potest.

Si itaque Celsissimus & Illustrissimus Ordo Senatorius, ut & Generosus Ordo Equestris de his prædictis circumstantiis sufficientem informationem habuissent, hanc Conventionem Gedanensem Confoederationi Generali inferere non permisissent, sed potius illam pro nulla & invalida declarassent.

pro 2^{do}. Improbatur in hoc Articulo, quod putativus Dux Bironius Anno 1739. juramentum fidelitatis seu homagium non in propria persona sua, sed contra expressam legem Constitutionis de Anno 1683. per legatum præstitisset. Si igitur ejusdem inve-

investitura contra expressam dispositionem Constitutionis ob-
tenta est, oppido clarum est, illum non habere jus & posses-
sionem feudi legitime obtenti; Imo confitendum est, investitu-
ram ejus esse in fraudem legis factam, & propterea irritam ac
nullam, illique plane nullum jus ad Curlandiam competere.

pro 3^{to}. Conceditur putativo Duci Bironio, ut, si provecta aetas
& valetudo id ei permittat ipse, vel ejus filius natu maximus,
homagium pro patre & pro se simultanee futuro Regi & Rei-
publicæ indilate præstet.

Sed si filius pro patre homagium præstare vellet, esset hoc
iterum contra expressam legem Constitutionis de Anno 1683,
ut & contra jura & privilegia Ducatum Curlandiæ & Semigal-
liæ, quæ tamen omnia tam in Constitutione Anni 1736, quam
etiam in hoc Articulo de Curlandia Confœderationi Generali
inserto, iterum confirmata & conservata sunt. Generosa No-
bilitas habet hoc jus quæsitum: Quod eo in casu quando Prin-
ceps juramentum fidelitatis seu homagium in propria persona
sua nondum præstitit, Generosa Nobilitas ab obedientia Prin-
cipibus investitis præstari solita, pro absoluta declarata sit.

Filius autem pro se homagium præstare & investituram feu-
dalem obtinere eam ob causam minime potest, quia adhuc
plane nullum jus ad feudum habet. Non enim adest hic feu-
dum antiquum ex pacto & providentia majorum, ubi proles
mascula jus quæsitum habet succedendi, sed feudum novum,
a patre

a patre ceu primo acquirente, per præstationem juramenti fidelitatis seu homagii in propria persona sua adhuc acquirendum. Quamdiu autem pater prædicto modo nullum jus perfectum & reale acquisivit, tamdiu etiam id ad filios suos transmittere & devolvere non potest. Postquam autem Serenissimus Princeps Regius & Dux Carolus per præstationem juramenti fidelitatis in propria persona sua & per solennem investituram jus perfectum & legitimum acquisivit, moraliter plane impossibile est, alium adhuc ad receptionem investituræ admittere.

pro 4^{to}. In hoc Articulo reservatio facta est, ut post extinctam lineam masculinam putativi Ducis Ernesti Ioannis, Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ ad liberam dispositionem Reipublicæ revertatur.

Notissimum est Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ cum tota Livonia per certa pacta Regi & Reipublicæ Poloniæ se subjecisse, in quibus inter alia hæc verba leguntur: „Et quicquid publice
 „ vel privatim universis & singulis de jure & æquitate compe-
 „ tere videtur vel videbitur, nostris literis & diplomatibus con-
 „ firmaturos, nec ullam in prædictis rebus diminutionem sed
 „ potius pro Regia nostra gratia & beneficentia augmentum &
 „ accessionem facturos. Hanc pollicitationem Divus olim Rex Sigismundus Augustus sacrosancto juramento confirmavit. Pacta ex libera voluntate inita sine utriusque partis consensu mutari non possunt; Talis autem libera & illimitata dispositio

esset contra pacta subjectionis & in præjudicium Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ.

pro 5^o Omnibus incolis & statibus Curlandiæ injungitur ut legitimo Duci suo Ernesto Ioanni secundum leges ejusdem ducatus in omnibus fideles & obedientes sint.

Mandata dare pertinet ad jura Majestatis. Præterea notum est mandata ad malam informationem obtenta, nullam producere obligationem. Quoniam putativus Dux Bironius contra expressam legem Constitutionis de anno 1683. non in propria persona sua Regi & Reipublicæ Poloniæ juramentum fidelitatis seu homagium præstitit, ergo Nobilitas, secundum leges Curlandiæ, eidem nullam obedientiam præstare obligatur, sicut hoc jam supra plane & perspicue expositum est.

pro 6^{to} Declaratur: Quod omnes sine consensu Ordinis Equestris & Comitiorum solummodo ex Resultatis Senatus-Consiliorum postremo in hos Ducatus emanatæ dispositiones & diplomata, nec non omnes subsequuti actus, uti juribus Reipublicæ contrarii & eapropter irriti, Illustrissimo Duci Ernesto Ioanni & successoribus ejus masculis, obstare & præjudicare non possint nec debeant.

Iam supra sufficienter probatum & demonstratum est, Serenissimum & Potentissimum Regem Augustum III. gloriosissimæ memoriæ, non sine, sed potius cum consensu totius Serenis-

renis-

renissimae Reipublicae & comitiorum & hinc etiam cum consensu Generosi Ordinis Equestris, feudum vacans Curlandiae Anno 1759. Serenissimo Regio Principi & Duci Carolo contulisse & hoc fundamento etiam innituntur omnes in Curlandiam emanatae dispositiones, Diplomata & reliqui actus, qui proinde juribus Reipublicae non contrarii, sed potius conformes sunt. Si autem, quod Deus avertat, haec Resultata Senatus-Consiliorum & omnes inde promanantes dispositiones, Diplomata, & actus, invalidi & irriti fierent, esset hoc non solum in contemptum & despectum Divi Regis gloriosissimae memoriae & multorum Celsissimorum & Illustrissimorum Dominorum Senatorum, sed etiam inde oriri deberet maxima confusio totius Curlandiae & damnum irreparabile multorum Nobilium plane innocentium, qui ad seria mandata S. R. Majestatis & ad sedulas admonitiones duorum Illustrissimorum Dominorum Senatorum in Curlandiam missorum, in constanti fidelitate erga S. R. Majestatem, Serenissimam Rempublicam & Serenissimum Ducem Carolum permanferunt.

Secundum Ius publicum Poloniae necessarium est, ut pro informatione Generosi Ordinis Equestris, Resultata Senatus-Consiliorum in Comitibus Generalibus publice praelegantur; Num autem in Comitibus Convocationis hoc anno habitis, talis praelectio facta sit, non est auditum.

Pro conservatione Jurium & Privilegiorum Ducatum Curlandiae & Semigalliae haec praemissa omnia, salvo tamen

omni respectu Serenissimae Reipublicae, debito, exposita sunt.
 Interea firmiter sperandum est, fore ut omnia ea, quae in prae-
 judicium jurium & privilegiorum Ducatum Curlandiae & Se-
 migalliae, in hoc Articulo de Curlandia, continentur, ad me-
 liorem informationem emendentur, omnes spoliati in pristi-
 nam possessionem restituantur, & ut secundum vota compluri-
 um Nobilium & aliorum incolarum, hi Ducatus, a crudeli-
 tate & tyrannide putativi Ducis Bironii, quam primum libe-
 rentur.

